

subditi Ecclesiae, cum necdum per baptismi januam in ipsam sint ingressi; adeoque, etc. Hinc Apostolus *I ad Corinth.* v, dicit: *Quid mihi de iis qui foris sunt iudicare? Nam eos qui foris sunt Deus iudicabit;* et concordat cap. *Gaudemus 8, De divortiiis*, ubi expresse Papa fatetur quod infideles, et pagani, « constitutionibus canonicis non arctantur. Quid enim ad nos, secundum Apostolum eundem, de his qui foris sunt iudicare? » Et idem supponere videtur concilium Tridentinum sess. xiv, cap. 2. ibi: « Cum Ecclesia in neminem iudicium exerceat, qui non prius in ipsam per baptismi januam fuerit ingressus. »

(28. Peregrini et advenae existentes extra territorium suum non obligantur ad leges speciales sui territorii. *Communis*, per textum in l. ult. *De iurisdic. omn. iudic.*, ibi: « Extra territorium jus dicenti non paratur impune, » et cap. *Ut animarum 2, De constitutionibus*, in 6, ibi: « Cum extra territorium jus dicenti non pareatur impune. » Leges enim non feruntur in personas absolute, sed dependenter a territorio, l. *Omnes populi*, ff. *De iustitia et iure*. (29. Imo peregrini et advenae existentes extra suum territorium, non solum non obligantur ad leges speciales sui territorii, sed nec ad leges communes in suo territorio vigentes, si istae non vigeant in loco ubi per modum hospitii reperiuntur, aut morantur. *Communis*; arg. cap. *Illa autem 11, dist. 12*. Tunc enim quilibet potest se accommodare rationabilibus consuetudinibus locorum, in quibus existit, cum privilegio locali frui possint omnes in eo loco existentes. Hinc Itali, dum hospitantur, aut morantur in Germania, possunt licite vesci lacticiis diebus jejunii, quamvis haec in Italia pro talibus diebus non liceant; et sic de similibus.

(30. Peregrini et advenae exeuntes e suo territorio, et nacti domicilium in alio loco cum animo ibidem permanendi, illico astringuntur legibus illius loci tam communibus, quam specialibus. *Communis*, arg. l. *Domicilium* ff. *Ad municipalem*, l. *Cives*, Cod. *De incolis*, lib. x, cap. *Ex parte 13*, et cap. *Licet 20. De foro competent.*, cum similibus.

(31. Peregrini et advenae discedentes mane ex oppido ubi non est jejunium, possunt ibi comedere carnes, quamvis vesperi, vel meridie venturi, seu redituri sint ad locum ubi est jejunium de praepcepto; quia in priori loco constituti nondum tenentur lege jejunii posterioris loci. *Communis*. (32. Neque do-

(9) Lucius Noster cum suis probabilistis opinatur eum qui in loco domicilii Quadragesimam jejunando absolverit, non teneri ad jejunium, si in locum veniat ubi nondum expletum Quadragesimale jejunium sit, ob diversum Kalendarium ibi usurpatum: contra vero eum qui in loco domicilii octo, vel decem dies jejunare adhuc debuisset secundum illius kalendarium, non teneri ad jejunium, si ad locum venerit ubi Quadragesima transacta, ac Pascha celebratum sit. Non video quomodo haec duo invicem cohæreant. Si in loco ad quem perrexerit peregrini-

mum reversi amplius tenebuntur illa die servare jejunium, quippe jam violatum, et servata impossibile. *Communis*. (33. Tenebuntur tamen adhuc abstinere a carnibus, quia haec abstinencia est divisibilis, et adhuc tunc illam pro reliqua diei parte servare possunt. *Communis*. (34. Item tenentur abstinere a carnibus in loco domicilii ubi est jejunium, si inde mane discedant, perventuri ad locum ubi non est jejunium, quia tenentur legibus proprii domicilii, quandiu in eo reperiuntur. *Communis*.

(35. Peregrini et advenae se transferentes in fraudem jejunii de loco ubi viget praepceptum jejunandi ad locum ubi non jejunatur, peccant graviter, quia fraus et dolus alicui patrocinari non debent: cap. *Sedes 15*, et cap. *Ex tenore 16, De rescriptis*, cap. *Tuae 12, De clericis non residentib.*, cap. *Ex litteris 2, De dolo et contumacia*, l. *In fundo*, ff. *De rei vindic.*, l. *Cum hi*, ff. *De transact.*, l. *Si legatarius*, Cod. *De legatis*, cum similibus. Vide verb. *Jejunium*, art. 2, n. 29 et 36, ubi solide probatur haec conclusio, tum ex concilio Mediolanensi, tum ex constitutione Clementis X, incipient. *Superna*, tum ex ratione intrinseca, plurimis etiam adductis doctoribus. (36. Vide etiam verb. *Impedimenta matrimonii*, art. 2, n. 98, ubi assertur decretum Urbani VIII confirmativum decreti sacrae Congreg. Conc. in quo declaratur nullum matrimonium illorum qui, in fraudem legis, e loco proprii domicilii ubi est publicatum concilium Tridentinum, non mutato realiter domicilio, transiunt ad locum ubi non est publicatum Tridentinum, eo solo animo et fine, ut absque parocho et testibus contrahant.

(37. Peregrini autem et advenae qui de loco ubi jejunatur, non in fraudem jejunii, sed bona fide, v. gr., peregrinationum causa, transeunt ad loca, seu per loca ubi non jejunatur, non tenentur jejunare, quia lex illa jejunii est affixa loco. Vide dict. verb. *Jejunium*, art. 2, n. 31. (38. Sic qui, non in fraudem jejunii, sed peregrinationum, aut negotiorum causa, de loco proprii domicilii ubi, ob discrepantiam novi et veteris kalendarii, nondum est incepta Quadragesima, pergat ad locum ubi per hebdomadam est Quadragesima jam incepta, et observatum jejunium, non tenetur illo anno jejunare illic per adhuc alios octo dies Paschae ad complendam integram Quadragesimam, sed potest licite se accommodare moribus eorum apud quos est. Vide d. verb. *Jejunium*, n. 32 (9). (39. E contra vero si talis in loco sui domicilii complexset Quadragesimam,

nus christianus, jejunandum sit, non tenetur sese conformare moribus, ac loci institutis, quia Ecclesiae praepceptum jam implevit; at si ibi non sit jejunandum, potest optime ipse sese accommodare moribus et regionis institutis, etsi, juxta Ecclesiae praepceptum, de Quadragesimali jejunio octo, aut decem dies adhuc jejunare deberet. Nunquid ergo ita sunt cum loco in quo versamur praepcepta conjuncta, ut a loco nullo modo pendeant, dum res sit de jejunando, vel festo servando; pendeant vero, dum liberandi homines sint a jejunio, festoque celebra-

non teneretur postea alibi observare illos octo dies, quia praepceptum illud jam implevit, et Ecclesia tantum obligat ad unam Quadragesimam, dummodo tamen caveat ne alii scandalizentur. Vide verb. *Jejunium*, n. 33.

(40. An peregrini et advenae exeuntes e loco ubi est festum de praepcepto, transituri ad alium locum ubi non est festum, teneantur ante discessum audire missam? Variant doctores; auctores enim 18 apud Pasqualigum *De sacrificio*, qu. 1296, teste La Croix, l. II, tr. 2, cap. 2, dub. 2, n. 684, tenent partem affirmativam. Alii autem undecim apud eundem Pasqualigum, Busemb., et varii alii tenent absolute partem negativam. At placet distinctio quam multi alii afferunt: vel enim antequam discedant e suo territorio, nullum ibi celebratur sacrum; et tunc non tenentur exspectare, sed possunt discedere, et non audire sacrum. Vel antequam discedant, celebratur sacrum, quod sit unicum in tali loco: et tunc ante discessum tenentur illud audire, quia pro tali differentia temporis tenebantur illa die audire sacrum, quod cum ibi supponatur esse unicum, non poterat ibi audiri alia hora, adeoque tenebantur illud audire ante suum discessum, cum ante suum discessum eos urgeret praepceptum audiendi illud unicum sacrum tali tempore celebratum. Vel tandem in loco a quo discedunt, celebrantur plura sacra; et tunc quamvis unum, vel duo sacra celebrantur ante suum discessum, si alia sacra remaneant celebranda, postquam discesserint, non tenentur sacrum audire antequam discedant, quia si ibi mansissent, potuissent licite exspectare aliud sacrum, et etiam ultimum ibi celebrandum, adeoque cum ante elapsum tempus illius sint deobligandi, eo quod migraturi sint in aliud territorium in quo non est talis obligatio, etiam non tenebuntur praevenire. Et ratio est quia, quando praecipitur auditio sacri, subintelligitur tacita conditio, si toto illo tempore, quo sacra celebrantur, remanserit quis in loco diei festi, et consequenter subditur praepcepto; in supposito autem nostro

do, secundum ecclesiasticam legem? (Vide quaest. hanc a nobis tractatam tom. II *Theologiae moral.* Patris Antoine pag. 58, edit. Romanae, an. 1757, ubi Verricellum id asserentem, quod Ferraris tueretur, confutavimus.)

(10) Vide, amice lector, quam stupendum sit horum theologorum studium, ut homines a legibus solvant! Peregrinus et advena loco discessurus ubi festum celebratur, si una tantum in eo celebranda sit missa, eam audire tenentur, dum ante ipsorum discessum celebratur. Si vero plures adsint celebrandae ibi missae, licet duae, aut tres celebrentur ante eorum discessum, nullam audire tenentur. Ubi majus est satisfaciendi praepcepto commodum, ibi minor, imo nulla obligatio est. Quis id in animam inducat suam, dum recte cogitet? Audi ergo Antoine, pag. 40, tom. supracit., qui hanc ait esse praxim, et persuasionem fidelium timoratorum, ut ante discessum a loco praepceptum audiendi sacrum impleant, si praevideant postea impeditum iri, ac revera ita agere tenentur, quia lex peregrinum illum obligat: tempus vero quo adhuc in suo do-

casu tales peregrini et advenae non remanent in loco festi pro toto tempore quo sacra celebrantur, sed eodemmet mane antequam omnia sacra celebrentur, exeunt fines illius loci, et perveniunt ad alium locum ubi non currit festum de praepcepto, adeoque, etc. Sic Sanchez, Lessius, Castropalaus, Bonacina, Henriquez, Praepositus, Amicus, Reiffenstuel, Delbene, Moya, Illung, aliique multi apud La Croix *loc. cit.*, n. 684, et Kasenberger, *loc. cit.*, n. 252 (10).

(41. Tenentur tamen tales peregrini et advenae ante discessum a territorio ubi currit festum, toto illo tempore quo permanent, ibi abstinere a labore servili, quia hoc praepceptum obligat divisibiliter pro qualibet parte notabili totius diei. Paulus Mezger, tract. 8, dis. 33, art. 5, § 4, n. 28; Kasenberg., *loc. cit.*, n. 252, et alii passim.

(42. Cum autem pervenerint ad locum ubi non est festum, dummodo illuc non se contulerint in fraudem legis, possunt laborare, quamvis in loco sui domicilii, propter peculiare festum ibi currens, debeant ex praepcepto abstinere a labore servili; statuta enim et consuetudines locales sunt veluti loco affixae, adeoque tale peculiare festum sui domicilii non ligat ipsos, dum existunt sine fraude legis extra districtum dicti sui domicilii. Lessius, lib. IV *De iustitia et iure*, cap. 2, n. 55; Navarr., capit. 13; *Manualis*, n. 5; Reiffenstuel., *Theol. moral.*, tractat. 2, *De legibus*, dist. 3, quaest. 4, n. 33, et alii passim. Vide dicta supra a n. 34 ad 36.

(43. Peregrini et advenae tenentur ad leges locales in celebratione contractuum, cap. *Licet 20, De foro competent.*, leg. *Hares absens*, et leg. *Omnem obligationem*, ff. *De iudiciis*. (44. Unde si sponsus et sponsa e loco ubi non est promulgatum Tridentini concilii decretum de contrahendo matrimonio coram parocho et testibus, peregrinentur ad locum ubi est promulgatum, tenentur contrahere coram parocho et testibus; alias matrimonium esset invalidum, eo quod semper sit habenda ratio loci ubi matrimonium per verba de praesenti contrahitur, *Communissima*, et sic declarasse sacr. Con-

micilio versatur, unicum est ei aptum ad illam observandam: quare perinde est ac si eo solo tempore obligaretur. Quisque vero tenetur servare praepceptum quo astringitur. Rursus praepceptum affirmativum debet impleri quando potest, praesertim si praevideatur postea non implendum; neque enim temporis spatium concedit, pro quo differri possit ejus observatio; sed obligat ut, quam primum potest, observetur, si postea non possit impleri, alioquin non esset satis efficax, et saepe eludi posset; ita sapientiss. Suarez. « Hinc qui abit die festi ad locum ubi non est festus, tenetur audire sacrum priusquam exeat, si possit absque gravi incommodo, et nequeat alibi audire, sicut si non exiret, teneretur audire primam missam, si praevideret postea impeditum iri. Quia praepceptum obligat simpliciter eo die, et non potest impleri, nisi audiendo primam missam: nam hic et nunc, et respectu talis hominis, illa est unica, et praesens hora est ultima ipsi apta ad implendum praepceptum. » (Haec Antoine.)

greg. Concilii referunt Wamesius in *Concil.*, tom. II, cons. 530; Pignatell., tom. V, cons. 79, n. 33; La Croix, l. vi, part. III, n. 714.

(45. Peregrini et advenæ tenentur ad leges locorum ubi reperiuntur, quando tales leges latæ sunt specialiter ob bonum commune illorum locorum, uti sunt, v. gr., leges quæ prohibent ne certæ merces ex oppido evehantur, ne certæ pecuniæ expendantur, ne certa genera armorum deferantur, et hujusmodi; aliter si ipsas leges scienter transgredierentur, possunt puniri, ac alii inquilini, cum tunc ratione delicti fiant subditi, et sortiantur forum loci ubi delinquant. *Communis*, per textum in cap. *Postulasti* 14, et cap. *Licet* 20, *De foro competent.*, cap. *De illis* 1, *De raptoribus*, et cap. *Placuit* 6, qu. 3, et *Authent. Quia in provincia*, Cod. *Ubi de criminibus agi oportet*, ubi sic expresse habetur: «Qua in provincia quis deliquit, aut in qua pecuniarum, aut criminum reus sit, illic etiam juri subiaceat.»

(46. An vagi, seu vagabundi, qui nullibi habent domicilium, obligentur legibus et consuetudinibus locorum per quæ transeunt, vel in quibus hospitantur, variant doctores. Affirmant enim Sotus, Suarez, Mastrius, Herinex, Mezger, Bonacina, Mendo, Felix Potestas, et alii plures; arg. cit. cap. *Postulasti* 14, *De foro competent.*, cum aliis numero antec. allegatis, et cit. *Authent. Quia in provincia*, Cod. *Ubi de criminibus agi oportet*. Vagi enim seu vagabundi possunt a loci magistratu capi, atque puniri, nedum ob delicta in loco talis magistratus commissa, sed etiam ob delicta alibi perpetrata, unde colligitur eorum in quovis loco ubi hospitantur, sortiri forum, ac eisdem legibus subijci, alias nullis legibus localibus ligarentur, quod esset absurdum. (47. Unde parochus proprius vagorum seu vagabundorum in ordine ad matrimonium, est parochus illius loci ubi vagi actu versantur. Sanchez, l. iv, disp. 20 n. 5, 8 et 11; Pirhing, l. iv, dec., tit. 15, n. 19; Reiffenst. loco cit., n. 88, et alii communiter. *Vid. verb. Impedimenta matrim.*, art. 2, n. 78, et verb. *Vagus*, seu *Vagabundus*, n. 4.

(48. Multi alii tamen, ut Lessius l. iv, c. 2, dub. 7, n. 49; Laymann *De leg.*, t. tract. 6; cap. 12, n. 7; Busemb., lib. I, tract. 2, cap. 2, dub. 3, cum pluribus aliis ibi citatis; Kazenberger, cit. cap. 1, sect. 3, n. 258; Sayrus, et alii satis probabiliter docent eandem esse rationem vagorum, quæ peregrinorum, ut scilicet vagi, seu vagabundi obligentur, vel non obligentur illis legibus particularibus locorum per quæ transeunt, quibus obligantur, vel non obligantur peregrini, seu advenæ. Et ratio istorum est, quia sunt tantum quatuor modi ordinarii, seu speciales sortiendi forum, scilicet, vel ratione delicti, vel ratione contractus, vel ratione domicilii, vel ratione rei, sive possessionis sitæ in territorio, textu expresso in cap. *Licet* 20, ex *De foro compet.*, ibi: «Ratione delicti, seu contractus, aut domicilii, sive rei de qua contra possessorem causa movetur, forum regulariter quis sor-

titur.» Vagi autem, seu vagabundi nulli horum modorum subjecti sunt, ut supponitur, adeoque non sortiuntur forum in locis per quæ transeunt, et consequenter nec obligantur illorum particularibus legibus. Unde vagi et vagabundi transeuntes per locum in quo sit particularis lex jejunandi, seu festandi, et audiendi sacrum, possunt ibidem, secluso scandalo, comedere carnes, labori servili se applicare, et missam non audire. Et ad rationem prioris opinionis respondent, quod per consuetudinem est introductum, ut etiam vagi, seu vagabundi, cum proprium iudicem non habeant, puniri possint ubicunque reperiantur, ne eorum crimina omnino impunita maneant, ex quo tamen non sequitur eos simpliciter et in omnibus sortiri forum, sive jurisdictionem et leges loci in quo existunt; nec est absurdum quod nullis specialibus locorum legibus teneantur, quia ipsi adhuc tenentur servare leges communes, seu juris communis, imo etiam illas ex municipalibus quæ respiciunt specialiter bonum commune illius loci per quem transeunt, ut dictum est supra n. 44, *De peregrinis et advenis*. Item servare tenentur leges illas particulares quæ concernunt contractus, uti dictum est supra n. 42 et seq., et ideo, ut dicebatur supra sub n. 46. Parochus proprius vagorum et vagabundorum in ordine ad matrimonium, est parochus illius loci ubi vagi actu versantur, et sic de similibus.

Romani theologi nota.

Si vagi non tenerentur legibus locorum in quibus versantur, dici posset, nec ulla lege etiam communi vivere posse, cum locus dari queat in quo communis lex non vigeat, ut optime animadvertunt doctissimi censors. Sunt hæc æquo animo ferenda? Itaque vagi leges servare debent etiam speciales locorum in quibus versantur. Primum quia peregrini et vagi, eo ipso quod exeunt ex proprio territorio, solvantur ab illius legibus; dum ergo ingrediuntur territorium alienum, subjecti illius legibus fiunt, præsertim cum gaudeant illius privilegiis, et qui sentit commodum, et onus sentire debent, ex *Reg. juris* 55, in 6. Deinde peregrini et vagi subijciuntur regimini, et jurisdictioni territorii ratione suæ præsentis in illo; nam, juxta omnes, quibusdam legibus subditi sunt, v. gr., ne quis noctu arma ferat, ne triticum afferat, ne peregrinus ultra triduum commoretur, etc.; ergo titulo subjectionis etiam vagi leges servare debent territorii in quo degunt, ac vere subditi sunt principis illius territorii transeuntes, et actu, alioquin nec legibus supradictis astringerentur. Præterea pax, ordo ac bonum commune postulat ut leges locales serventur ab omnibus qui in territorio versantur, quandiu in illo morantur; et princeps, cum potestatem habeat ad bonum commune, et rectum ordinem tuendum, non videtur dubitandum quin suis legibus etiam vagos in eodem commorantes obligare velit. Vide S. Augustinum in *Epist.*

ad *Januarium*, et lib. II *Confession.*, cap. 8, ubi ita rem comprobatur: «Quæ contra mores hominum sunt flagitia, pro morum diversitate vitanda sunt, ut pactum inter se civitatis, aut gentis consuetudine, vel lege firmatum, nulla civis, aut peregrini libidine violetur. Turpis enim omnis pars est suo universo non congruens.»

Responsio auctoris.

Advertendum est quod relata hic opinio de vagis seu vagabundis impugnata a Theologo, non est mea, sed doctorum ibi adductorum, ut clare patet ex verbis meis, dico enim: «El ratio istorum est;» sed mea vera opinio est illa a me conclusa antea sub n. 46 et 47, ubi, adductis juribus et auctoribus pro illa tuenda, concludo sic: «Unde colligitur eos in quovis loco ubi hospitantur, sortiri forum, ac ejusdem legibus subijci, alias nullis legibus localibus ligarentur, quod esset absurdum: Unde parochus proprius, etc.» Et relata opinio auctorum sub n. 48 est tantummodo ad eruditionem, ut legentes sciant quid etiam alii sentiant, relinquendo interim unamquamque opinionem hujusmodi etiam ex supra traditis, et a Theologo notatis in suo probabilitatis gradu, juxta tradita a recol. mem. Benedicto XIV in constit. incip. *Sollicita ac provida*, § 17, ubi expresse sic habet: «Hoc de cætero cogitantes, non paucas esse opiniones quæ uni scholæ, instituto, aut nationi certo certiores videntur; et nihilominus sine ullo fidei ac religionis detrimento ab aliis catholicis viris rejiciuntur, atque impugnantur, oppositæque defenduntur, sciente ac permittente Apostolica Sede, quæ unamquamque opinionem hujusmodi in suo probabilitatis gradu relinquit (11).»

* Porro «certum est legibus communibus totius Ecclesiæ ubique locorum teneri peregrinos et advenas christianos, cum semper

(11) Præstat hac in re audire D. de Ligorio, ita scribentem: «An, si quis in aliquo loco ad breve tempus moretur, teneatur leges illius servare? Prima sententia affirmat, et hanc tenent Pontius, Suarez... etc. Probant 1. ex c. *Illud*, dist. 20, ubi refertur illud celebre D. Ambrosii: «Cum Romam venio, sabbatum jejuno; cum Mediolani sum, non jejuno; sic, et tu, ad quamcunque Ecclesiam veneris, ejus morem serva; si cuiquam non vis esse scandalum, nec quemquam tibi.» Probant 2. ratione, quia expedit, ad pacem publicam servandam, et ad scandalum vitandum, ut omnes servent leges loci ubi reperiuntur, ut colligitur ex relata doctrina Ambrosii: et saltem, ratione dieti scandali vitandi, ut ait Suarez, episcopus loci jurisdictionem habet in peregrinos. . . . Hæc sententia est satis probabilis.

«Sed probabilior videtur secunda, quæ dicit advenam non teneri legibus loci ubi non moratur, nec intendit morari per majorem anni partem (siquidem per majorem partem anni quis alicubi manendo, acquirere in eo loco quasi domicilium tenent Silvest. v. *Domicilium*, Sanchez, *De matrim.*, lib. III, disput. 18, n. 9). Ratio, tum quia leges non obligant, nisi subditos, quales non sunt peregrini, cum ipsi ob brevem illam moram minime subijciantur jurisdictioni superioris loci, ut habetur et citat. 1. *Hæres absens*; tum quia non dicitur

subsint jurisdictioni Ecclesiæ, ubicunque existant. Sic quilibet peregrinus tenetur ad jejunia Quadragesimæ, et vigiliarum, atque ad audiendam missam diebus dominicis, festivisque, quia hæc sunt de præcepto totius Ecclesiæ.

«Certum insuper est illum qui migrat aliorum, fixurus ibidem domicilium, mox teneri legibus illius loci, cum primum incipit ibidem degere; nam extunc incipit esse incola illius loci.» Reiffenst. *De legib.*, q. 3, n. 20 et 21.

Ille vero acquirit quasi domicilium, qui manet in aliquo loco per majorem partem anni; vel qui ibi moratur per aliquod notabile tempus, cum animo ibi manendi majori parte anni, ut recte aiunt Roncaglia, Laymann, et Summus Pontifex Benedictus XIV, *Inst. Eccl.*, 33, n. 6: et communis sententia tenenda docet, quod talis contrahens quasi domicilium, teneatur legibus loci ubi est.

«Non tenentur absentes ad leges patriæ, ut communissimum est ex c. *Ut animarum*, *De constit.*, in 6. Etiam si lex sit de jure communi, quando peregrinus est in loco ubi illa abrogata est... et hoc etiam si discederet a patria ad eximendum se a lege. Hinc docet Palaus cum Basilio posse peregrinum qui nolit confiteri peccata reservata proprio parochi, alio discedere, ut ab alio absolvatur; quia tunc utitur jure suo. Et hoc etiam valet, si ille maneat in sua patria, sed in loco exempto... An vero pro locis exemptis intelligantur etiam conventus regularium? Negant Suarez, Con. apud Salmat.... Sed dicunt intelligi tantum oppida, et Ecclesias intra diocesim, alienæ tamen jurisdictioni subjectas. Sed affirmant Salmaticenses.... quia tam loca, quam personas Tridentinum exemptas appellat, sess. XIV, cap. 5, *De reform.*, in fin., et valde probabile est.»

Unde resolves: «Si episcopus, sub pœna

moraliter commorari in aliquo loco ubi non manet, nec animum manendi habet per majorem partem anni. Ad textum autem D. Ambrosii, respondetur 1. illum procedere tantum, ubi vitandum est scandalum. Respondetur 2. S. doctorem loqui ibi de lege communi servandi jejunii, quod Mediolani non servatur in primis quatuor diebus Quadragesimæ; sed lex communis utique servanda est a peregrinis, quando absunt a patria ubi lex illa non servatur, ut ex communi sententia docent Suarez, Laym., etc., quamvis tamen Laym. non improbet oppositam Sanchezii, qui, *De matr.*, l. c. n. 7, ait cives mox in patriam redituros, per fictionem juris, pro presentibus haberi.

«Limitatur vero hæc secunda sententia 1. in legibus de jure communi, vel circa solemnitates contractuum, aut circa commoda ipsius loci, v. g. de non extrahendo triticum, arma, etc. 2. Limitatur si eadem leges vigeant in patria peregrini, hæc Sanctius cum Diana huic contradicat. 3. Limitatur, si peregrinus ibi delinquat contra jus commune, tunc enim fit subditus ratione delicti, ex c. *Finali*, *De foro competent.* D. de Ligorio, *De natur. et obligat. legis*, n. 156. — Et sic, ex eod., D. de Ligor., l. c., n. 159 et seq. vagi et peregrini non tenentur (salvis limitat. ut etiam apud. Auct. sub n. 45, etc.) præceptis special. locorum ubi morantur.

excommunicationis, velet lusum aleæ, non obligantur clerici ludentes in loco exempto a jurisdictione episcopi. » Bonac., Laymann.

« Si quis die jejunii aut festo sit in loco alio, non sui territorii aut exempto ubi tunc non est jejunium aut festum, potest ibi comedere, exercere servilia. » Laymann, Bonac.

« Id etiam habet locum in præceptis juris communis, si in loco isto sint usu abrogata, vel non recepta, vel habeatur privilegium. Quare potes, v. g. Mediolani primis quatuor diebus Quadragesimæ vesci carnibus; item in loco ubi Tridentinum non est receptum valide (etsi non licite) inire matrimonium clandestinum. » Suarez, Sanchez, Less.

« Hic magna quæstio occurrit disceptanda, an peregrini possint dispensari ab episcopo loci ubi sunt, tam in legibus communibus (puta jejunii, vel abstinentiæ ab opere servili), quam in votis et juramentis? Ad sunt quatuor sententiæ. Prima... affirmat univèrse tam pro legibus, quam pro votis... Secunda sententia prorsus opposita... dicit quod peregrinus, quoad usque acquirat alicubi verum domicilium, nunquam subditus est censendus, et ideo nec tenetur ad leges loci, nec potest dispensari in legibus communibus, neque in votis, aut juramentis ab illius episcopo.... Tertia sententia censet peregrinum adhuc transeuntem bene posse dispensari ab ordinario loci in legibus etiam communibus, quia ipse quoad leges bene subditur jurisdictioni illius superioris, non autem quoad vota et juramenta... Quarta sententia communissima... cui subscribimus tenet posse peregrinum dispensari ab episcopo loci, non solum in legibus, sed etiam in votis et juramentis, modo ibi sit animo permanendi per majorem anni partem. Ratio, quia ex illa diuturna habitatione contrahitur quasi domicilium.... Et idem sentit Sanchez.... quoad dispensationem facultatum concessarum episcopis a Tridentino in cap. 6, *Licet.*, sess. xxiv *De reformat.* » Ex D. de Ligorio *De natur. et obligat. legis*, n. 156 et 157.*

(49. Clerici et regulares nullatenus tenentur ad leges civiles quæ sine Apostolica approbatione de personis, locis, et rebus ecclesiasticis specificis, hoc est expresse, vel nominatim disponunt; etiamsi eorum commodum, vel favorem contineant, et tanto minus, si contineant eorum præjudicium et incommodum. *Communissima*, textu expresso in cap. *Quæ in Ecclesiam* 7, et cap. *Ecclesia Sanctæ Mariæ* 10, *De constitutionibus*, ibi: « Nos attendentes quod laicis, etiam religiosis, super ecclesiis et personis ecclesiasticis, nulla sit attributa facultas, quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi, a quibus, si quid motu proprio statutum fuerit, quod ecclesiarum etiam respiciat commodum et favorem, nullius firmitatis existit, nisi ab Ecclesia fuerit approbatum. Unde statutum Basilii de non alienandis prædiis rusticis, vel urbanis, ministeriis, et ornamentis ecclesiarum, illa reprobata sunt potissimum ratione, quod

auctoritate non fuit Romani Pontificis roboratum: » et concordat cap. *Bene quidem* 1, dist. 96, cum similibus. Et ratio est clarissima, quia lex lata sine jurisdictione, seu erga non subditum, vim obligandi non habet, cap. *A nobis* 21, *De sentent. excomm.*, cap. *Ut animarum* 2, *De constitutionibus*, in 6, et l. ultim., *De jurisdiction. omnium judic.*, cum similibus. Personæ autem ecclesiasticæ, ac ecclesiæ, earumque res sunt exemptæ a jurisdictione sæculari, gaudentque privilegio fori, et immunitate ecclesiastica; cap. ultim. *De rebus Eccles. non alienand.*, cap. *Nimis*, *De jurejurando*, cap. *Non minus*, *De immunit. Eccles.*, cap. *Quamquam*, *De censibus*, in 6, cum similibus; et patet ex dictis verb. *Clericus* art. 2, verb. *Forum*, seu *Forus*, et verb. *Immunitas*. Adeoque, etc.

(50. Clerici et regulares, quoad vim coactivam, nec tenentur legibus civilibus, et statutis laicorum, quæ non specificæ, seu non expresse, vel nominatim disponunt de ecclesiis, rebus et personis ecclesiasticis, sed generaliter, seu communiter ob publicam utilitatem, seu necessitatem quidpiam præcipiunt, ac prohibent, quamvis id non repugnet statui clericali, aut immunitati ecclesiasticæ. *Communissima*, textibus claris in cap. *Bene quidem* 1, cap. *Denique* 5, cap. *Satis evidenter* 7, cap. *In scripturis* 8, cap. *Quis dubitet* 9, cap. *Si imperator* 10, cap. *Nunquam* 11, dist. 96, cap. *Decernimus* 2, cap. *At clerici* 4, cap. *Clerici* 8, et cap. *Qualiter* 17, *De judiciis*, cap. *Sæculares* 2, *De foro competent.*, in 6., et cit. cap. *Ecclesia Sanctæ Mariæ*, ibi: « Nos attendentes quod laicis, etiam religiosis, super ecclesiis et personis ecclesiasticis, nulla sit attributa facultas, quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi, etc. » cum similibus. Clerici enim et regulares, ob privilegium fori ipsis competens, sunt omnino exempti a jurisdictione sæcularium; adeo « ut nihil commune clerici cum publicis actionibus, vel ad curiam pertinentibus, cujus corpori non sunt annexi, habeant, » ut fatetur ipsemet imperator in l. *Placet*, cod. *De episcop. et cleric.*

(51. An autem clerici et regulares teneantur digitis legibus civilibus, et statutis laicorum quoad vim directivam? Non satis conveniunt doctores. Plurimi enim docent clericos et regulares teneri dictis legibus, quoad vim directivam, si non directe, et per se, saltem indirecte, et per accidens. Ita Abbas in cap. *Ecclesia Sanctæ Mariæ* 10, *De constitutionibus*, n. 13; Fagnan., *ibidem*, n. 29, cum multis ibi citatis; cardin. de Luca, tom. 1, disc. 8, *Miscellanei ecclesiastici*, n. 6; Mastrius, *Theolog. Moral.*, disp. 2, qu. 4, art. 4; Kazenberger, loc. cit., n. 232, ubi testatur de communi; Suarez, lib. III, *De legib.*, capit. 33, n. 6; Bellarmin., lib. I, *De clericis*, cap. 28; Covarr., *Practicar. quest.* cap. 33, n. 7; Reiffenstuel, lib. I *Decret.*, tit. 2, n. 301 et sequent.; Pirhing, *ibid.*, n. 79, testans ita tenere communiter canonistas et theologos. Et ratio est quia, licet clerici,

et regulares nequeant obligari a dictis legibus civilibus, et statutis laicorum ex vi propria ipsarum legum, seu statutorum ob defectum jurisdictionis in clericos et regulares, quod quidem requiritur ad obligationem directivam directam, et per se, ex notatis supra n. 16 et 19, tamen obligantur a dictis legibus vi directiva indirecte et per accidens, in quantum, positis dictis legibus civilibus pro bono communi reipublicæ latis, tenentur ad earum observantiam ex ratione naturali, cui leges illæ innituntur, ipsaque naturali æquitate dictante, quod pars non debeat discordare a toto: « Nam turpis est omnis pars suo universo non congruens, » ut expresse dicitur cap. *Quæ contra* 2, dist. 8. Tum etiam obligantur ad eandem observantiam ex jure naturali et divino de vitando scandalo proximi, quod nimis facile eveniret, si sæculares viderent clericos, qui potiori perfectioni sunt obligati, et alios ad integram legum observantiam alioquin exhortantur, palam, et libere ipsas leges transgredientes, seu negligentes; tum pariter ad ipsarum observantiam obligantur ex auctoritate sanctæ matris Ecclesiæ, ejusmodi leges pro bono publico approbantis, seu recipientis; cap. *Si in adjutorium* 7, dist. 10, c. *Intelleximus*, *De novi operis nuntiatione*, ubi Lucius tertius Summus Pontifex expresse dicit: « Sicut leges non dedignantur sacros canones imitari, ita et sacrorum statuta canonum principum constitutionibus adjvantur. » Unde in defectum canonum recte allegantur hujusmodi leges civiles in utroque foro, videlicet tam canonico, quam civili, et ipsis legibus civilibus pluries sunt usi ipsimet Summi Pontifices, ut patet in cap. 1 et 2 *De novi operis nuntiatione*, et sæpe alibi, et ideo in cap. *Super specula* 28, *De privileg.*, notanter dicitur, « quod sancta Ecclesia legum sæcularium non respuat famulatum, quæ æquitatis et justitiæ vestigia imitantur. »

(52. Alii autem, ut Navarrus, consil. 3, *De const.*, n. 4, cum quibusdam aliis ibi citatis; Decius in d. cap. *Ecclesiæ Sanctæ Mariæ* 10, *De constitutionibus*, n. 24, tenent quod leges civiles, seu laicales, etiam favorabiles, et generaliter loquentes, non includant, et obligent clericos et regulares, si præcipiendo, vel prohibendo loquantur, cui sententiæ favere videtur Sperellus dec. 13, *Fori ecclesiastici*, n. 4 et sequent., ea motu ratione, quod clericorum actiones sint extra spheram activitatis, et jurisdictionis, etiam directivæ, principum sæcularium; cum clericorum et regularium directio ad suos pertineat prælatos; cap. *Si imperator* 11, dist. 96, cum similibus. Idem tamen sub n. 40, exemplificans de statuto, seu edicto laicali taxante justum pretium frumenti, vini, aliorumque victualium ad vitam necessariorum, dicit cum aliis ibi citatis, quod, licet ex defectu potestatis, clericos non comprehendat; tamen, illo statuto posito, debent clerici taxatum pretium non præterire, non quidem obligatione orta ex vi statuti, seu edicti sæcularis, sed ex vi juris naturalis, ac

divini præcipientis ne quis ultra justum pretium vendat; quale justum pretium dignoscitur, vel ex communi cæterorum hominum consensione, vel ex legis, seu statuti declaratione, vel aliunde; ad quam notitiam justii pretii per accidens est, ut ex principis declaratione perveniamus; adeoque est ratio naturalis, vel divina, quæ, posito statuto, clericos dirigit; non autem lex principis, quæ illos nullatenus dirigere potest, ut ibi, multis citatis, subjungit, postquam dixerat quod vendentes ultra pretium a statuto taxatum, quatenus faciunt contra justitiam, tenentur ad restitutionem; quatenus vero contra rationem, ac legem divinam, mortaliter peccant, plures ad hoc citans doctores. Unde sub n. 13 concludit quod non peccant contra legem principis laici, sed contra regulam charitatis et justitiæ, qua jure divino et naturali tenentur ad ea observanda, quæ ad convenientem reipublicæ ordinem, gubernationem, conservationem, et pacem sunt necessaria; et ita vult esse intelligendos doctores, qui docent clericos vi directiva teneri ad observantiam talium et similibus legum principum sæcularium.

(53. Hinc in praxi ad bonum publicum promovendum, et peccatorum pericula, aliave mala evitanda, consultissimum et maxime opportunum est, quod prælati, seu superiores ecclesiastici, tempore caritatis, pestis, aut alterius publicæ necessitatis, coadjvent similibus suis edictis principum sæcularium proclamata, ut notant Navarrus cap. 23 *Manual.*, n. 88; Azorius, part. 1, dub. 5, cap. 12, in fine; Sperell., dec. 13, *Fori ecclesiastici*, n. 14; Reiffenst., lib. I *Decretal.*, tit. 2, n. 310, et alii plures. Et de facto id practicavit sanctus Carolus Borromeus, cardinalis zelantissimus, et vigilantissimus archiepiscopus Mediolanensis, qui cum a gubernatore illius urbis per litteras requisitus fuisset, ut cogeret clericos ad observandum edictum a se pro publica utilitate conditum, die 27 Aprilis 1576, eidem in hæc verba rescripsit: « Hoc Excellentissimæ vestræ, quam paternam charitate unice in Christo diligimus, primum persuasum esse debet, in Ecclesia Dei novum atque inusitatum esse, et canonum sanctionibus, sanctæque Ecclesiæ immunitatis ratione alienum, ecclesiasticos edictis ejusmodi laicorum principum, magistratuumve servandis astrictos teneri, ad eaque exsequenda per episcopos compelli. » Nihilominus, ut publicæ utilitati melius, et opportunius consulere, statim et ipse super eodem negotio edictum a se confectum promulgari fecit, prout patet ex eadem sua epistola, ibi: « Nihilominus tamen nos, non ut decreta laici principis exsequeremur, sed ut in re quæ ad utilitatem publicam spectare aliquo modo posse videtur, omni cautione uteremur, superioribus proximis diebus, pro nostro pastorali munere, de ea ipsa Orizæ sanctione tum edictum auctoritate nostra confectum promulgari jussimus, tum alia, prout expedire censuimus, opportuna officia adhibuimus, » etc. Sic refert Sperellus dec. 12, n. 20, et dec. 13,